

adhibenda esset ab Ecclesiasticis iudicibus, tractant Hostiens. in Summa, tit. de Maledicis, § Blasphemantes; Panor. et alii, in cap. 2 de Maledicis; Bernard. Diaz, cap. 110. Nunc vero extat constitutio Concilii Constant., sub Leone X, sess. 9, ubi non imponitur clerico specialis poena ipso jure incurrenda, sed prius postulatur, ut sit convictus de crimine, et deinde pro prima et secunda vice leviores poenae imponuntur, pro tertia vero privandus dicitur omnibus beneficiis et dignitatibus, et inhabilis reddi ad similia in futurum; de Ordinibus autem nihil dicitur; et pro laicis aliae poenae imponuntur, nulla facta mentione irregularitatis. Ex quibus a fortiori patet idem dicendum esse de peccato perjurii; nulla enim irregularitas pro eo fertur in jure, quamvis si clericus sit perjurus in iudicio, et in alia causa, seu extra confessionem proprii delicti, reus sit poenae depositionis, non quidem ipso jure latae, sed ab Ecclesiastico iudice imponendae, ut dicitur in cap. Cum non ab homine, de Judiciis, et ex canone 25 Apostolorum, in cap. Presbyter, dist. 85. In cap. autem De his, dist. 50, dicitur de clericis, qui publice perjuri sunt: *A gradu suo decidant*. Sed praeterquam quod textus ille tantum est Rabani, jam supra diximus, verba similia recte intelligi de poena depositionis a pastoralis munere, vel etiam ab Ordine, ab homine imponenda. Quod autem ibi dicitur de publico perjurio ita puniendo, fortasse olim generatim et indistincte observabatur; nunc autem solum in perjurio commissio in iudicio dicta poena locum habet; de qua legi potest Abbas, in cap. Querelam, de Jurejurando; Dec., in dict. cap. Cum non ab homine, et Bernard. Diaz, cap. 92. Alia ergo perjuria extrajudicialia arbitrio Praelatorum punienda sunt. Et per haec judicari facile potest de similibus exemplis, quae non sunt facile admittenda, sed examinanda jura; nam ex eis expendendo verba, sicuti exemplis adductis fecimus, facile constabit non esse sermonem de irregularitate. Erat autem satis grave et necessarium exemplum de sacrilegio, quod frangendo sigillum confessionis committitur, neque esset hic omittendum, nisi in superiori tomo in materia de poenitentia tractatum fuisset.

SECTIO V.

Utrum, propter alia crimina, vel statum eorum incurrat irregularitas.

1. *Prima generalis regula.* — *Duae regulae a Maiolo in contrarium statutae rejiciuntur.* — In quolibet crimine considerari potest, aut solum delictum semel commissum, aut consuetudo, vel frequentia ejus, aut perseverantia in illo per poenitentiam. Loquendo ergo de sola commissione criminis, generalis regula statui potest, nullum aliud crimen, praeter pauca supra enumerata, et homicidium, sub quo mutilationem comprehendimus, irregularitatem inducere, quia pro nullo legitur in jure imposita; et qui exceptionem adhibuerit, tenetur textum expressum adducere, quod facere non poterit (ut opinor), id quod a fortiori patebit ex dicendis. Itaque, si caetera crimina per poenitentiam deleantur, illa commisisse non impedit Ordinum suspensionem, aut executionem, neque ad illam erit necessaria dispensatio, sed absolutio, si forte habeant annexam censuram, ideoque irregularitatem non inducunt. Contra hanc vero regulam duas alias constituit Maiol., lib. 5, cap. 12, in fine. In priori ait committens quodvis capitale crimen irregularem fieri, quia omne tale crimen inducit infamiam, juxta cap. Illi, 6, quaest. 1, quo loco nominantur illa peccata, de quibus Apostolus ait, *Quoniam, qui talia agunt, regnum Dei non consequentur*, qualia sunt omnia mortalia. Verumtamen nunc non agimus de infamia, sed de irregularitate, quae sit poena talis criminis, quae ibi non imponitur. Neque infamia incurri dicitur per quodcumque peccatum absolute commissum, sed interveniente contumacia post Ecclesiae correctionem, ut ibi Turrecremata, et alii Doctores advertunt. Citantur etiam Concilium Agathens., cap. 50, et Concilium Aurel. III, cap. 9, in quibus clericus propter capitale crimen deponi jubetur. Sed hoc etiam parum nos cogit, quia saepe diximus hoc satis non esse ad irregularitatem. Addo, crimen capitale ibi non significare quodlibet mortale; alioqui non statim sub disjunctione adderet: *Qui capitale crimen commiserit, aut cartham falsaverit, vel falsum testimonium dixerit, cum haec etiam peccata mortalia sint*. Capitale ergo dicitur, quod secundum leges dignum est poena capitis, ut notant expositores, in cap. Si Episcopus, dist. 50. Huc vero spectat alia re-

gula dicti auctoris, scilicet, omnia peccata, quae in lege veteri erant capitalia, id est, morte digna, in nova inducere irregularitatem. Solumque probat ex facto Gregorii, quod refert Joannes Diaconus, lib. 2 de Vita ejus, cap. 16. Sed cum illud non contineatur in jure, non sufficit ad irregularitatem inducendam, maxime cum post Gregorium hoc sit in jure declaratum.

2. *Secunda generalis regula.* — Secunda regula etiam generalis est, hujusmodi crimina, quae non habent in jure irregularitatem annexam quando committuntur, non inducere illam propter solam durationem seu poenitentiam talis culpae. Probatur ex eodem principio, quia etiam propter hanc durationem non legitur in jure irregularitas imposita. Et declaratur in hunc modum: nam vel hoc esset ex generali ratione status peccati mortalis, et hoc non, ut patet ex ratione facta, et quia tempus talis durationis definiri non potest. Vel esset ex statu in hac vel illa specie peccati gravioris, et hoc etiam dici non potest, quia ubicumque jus imponit irregularitatem propter aliquod crimen, non fundatur in duratione ejus, sed in sola commissione, ut patet in omnibus supra tractatis. Solent quidem aliquando jura imponere poenam contumacibus, et perseverantibus in peccato commissio, et sub hac conditione, et non aliter; sed hoc faciunt in censuris ferendis; in aliis vero poenis nunquam considerant solam permanentiam, sed vel commissionem delicti tantum, vel novam iterationem, vel aliquid hujusmodi; non est tamen dubium, quin irregularitas pro delicto posset sic imponi; hactenus vero nullam inveni, quae hoc speciali modo imposita sit; si autem inveniretur, non propterea esset extendenda ad alia delicta ratione similitudinis, ut saepe dictum est.

3. *Objectio.* — *Solutio.* — *Quod majus impedimentum, irregularitas, an peccatum mortale.* — *Maioli dictum improbat.* — *Pauli testimonium exponitur.* — Dices, eum, qui est in statu peccati mortalis, esse moraliter inhabilem ad quemcumque Ordinem recipiendum, vel exercendum, non solum ob naturalem conditionem ipsius peccati mortalis, sed etiam ob speciale praecceptum Apostoli, 1 ad Timoth. 3: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse et de diaconis: Probentur primum, et sic ministrent, nullum crimen habentes; et ad Titum 1: Oportet Episcopum sine crimine esse; dicitur autem sine crimine esse, non solum qui peccatum mortale nunquam com-*

misit, sed etiam qui in eo statu non permanet, veramque poenitentiam commissi peccati egit, et ob eandem causam jam tunc dici potest irreprehensibilis, licet antea fuerit reprehensione dignus. Per crimen autem intelligunt Augustinus, tract. 41 in Joan., et Beda, ad Titum 1, quodlibet peccatum mortale; et refertur, dist. 81, cap. 1, ubi multa alia decreta de hac re leguntur. Et faciunt etiam cap. ult., dist. 24, et cap. 1, dist. 81, cum similibus, in quibus deponendus dicitur, qui in aliquo gravi crimine esse convincitur. Respondeo, de hujusmodi statu in peccato mortali dupliciter nos loqui posse, vel in sensu composito (ut sic dicam), id est, quamdiu durat talis status, vel etiamsi auferatur. Loquendo hoc posteriori modo, certum est ex sola duratione status peccati mortalis, ut sic, non nasci irregularitatem, quae maneat cessante tali statu per poenitentiam, et aliquam dispensationem requirat; nullum enim extat jus, in quo talis irregularitas fundari possit. Loquor autem per se; nam, si inde generetur aliqua infamia, quae est aliud caput irregularitatum, illud est accidentarium, aliterque illi malo subveniendum est, ut postea dicitur sumus. At vero considerando peccatum quamdiu durat, sic dici potest ponere impedimentum Ordinibus suscipiendis, et exercendis, non canonico jure inventum, sed divino et naturali. An vero dicendum sit majus impedimentum quam irregularitas, Maiolus, lib. 5, cap. 1, absolute affirmat, fortasse propter majorem malitiam; tamen quatenus facilius auferri potest, dici potest minus. Item quantum ad obligationem non recipiendi Ordines, vel eis non utendi. Nam recipere primam tonsuram in mortali peccato, forte non est novum peccatum mortale; cum irregularitate autem, esse opinor. Similiter subdiaconum uti officio suo in peccato mortali, non est novum mortale; cum irregularitate autem erit, juxta supra dicta, et in 3 tomo de Sacram. in genere. Ratio vero differentiae est, quia irregularitas directe et quasi ex proprio instituto continet hanc prohibitionem; peccatum vero non ita directe, sed solum ratione cujusdam indecentiae, quae extra ministerium et receptionem sacramentorum regulariter non censetur adeo gravis. Unde, quod Maiol., supra, l. 5, cap. 1, n. 2, ait, eum, qui in peccato mortali, etiam occulto, aliquid de suo Ordine exercet, etiamsi solum tangat eas res, quae sine Ordinibus tangi non possunt, novum peccatum mortale

committitur, hoc (inquam) per exaggerationem dictum videtur, cum nullo jure, vel positivo, vel naturali, probari possit, licet Sylvester, et aliqui Summistæ interdum ita loquantur, de quo videri possunt dicta 3 tomo, disputat. 16, sect. 3. Ad testimonium ergo D. Pauli respondetur, per illa verba non induxisse novum præceptum positivum, sed explicasse quod per se debitum est sanctitati Ecclesiastici Ordinis ac ministerii, ideoque ex illis verbis non colligi specialem irregularitatem. Alia vero jura canonica præcipiunt observari hoc ipsum divinum jus, aut naturale, et pœnas imponunt transgressoribus illius, non tamen addunt specialem irregularitatem, nisi in casibus supra numeratis.

4. *Tertia regula.* — *Quorundam opinio.* — *Improbatur.* — Tertia regula esse potest, nullum fieri proprie irregularem propter frequentiam, vel consuetudinem committendi mortale aliquod crimen. Itaque ubi peccatum semel commissum non habet in jure irregularitatem adjunctam, propter solam frequentiam, vel consuetudinem, non adjungitur illi, quia oportet hoc ipsum esse in jure expressum, quod tamen non fit. Et quidem si consuetudo peccandi sit occulta, regula est recepta sine controversia, ut a fortiori patebit ex dicendis. De peccato autem publico est nonnulla dubitatio. Nam aliqui sentiunt, clericum publicum peccatorem contrahere specialem irregularitatem, ita ut etiam post peractam pœnitentiam non possit absque dispensatione ad superiorem Ordinem ascendere, vel in proprio ministrare. Quod saltem in quibusdam gravioribus criminibus depositione dignis affirmat Navarrus, cap. 25 Summæ, num. 73, et cap. 27, num. 154, et num. 248 et 249, ex cap. ult. de Temporibus ordinat. In quam sententiam videtur etiam inclinare Maiolus, lib. 5, cap. 1, num. 6, et latius, cap. 12, per totum, ubi affert Speculatorem, titulum de Dispens., § Juxta, et citat plura decreta, ut cap. Testimonium, de Testibus, cum Glossa, et cap. De his vero, et cap. Sacerdotes, 50 dist., et cap. Si quis presbyter, 15, quæst. 8, et ibidem hoc extendit ad crimina non ita gravia, sed mediocria, si publica sint. Per evidentiam facti, vel per confessionem, aut per sententiam judicalem, juxta cap. Quæsitum, de Tempor. ordin. Vel etiam per publicam infamiam, quæ per purgationem canonicam auferri non potuit. Hæc tamen omnia non constanter affirmat, sed post varia, quæ generatim dicuntur ab auctoribus, con-

cludit, nihil certum posse in generali dici, nisi ad particularia descendatur. Atque hoc ego verissimum censeo. Opinor igitur, in eo casu non incurri propriam irregularitatem, propter quam sit necessaria dispensatio post peractam pœnitentiam, seclusa infamia, de qua postea dicemus. Hoc probo, quia nullo jure probatur talis irregularitas.

5. *Jura pro illa opinione allata exponuntur.* — Etenim in citato cap. ult. de Tempor. ordinat., in primis non est sermo de criminibus in genere, sed de quatuor in particulari, scilicet, homicidio, perjurio, adulterio, et falso testimonio. Deinde, excepto homicidio prout ibi etiam excipitur, propter alia non imponitur irregularitas, neque incurri supponitur, neque aliquod aliud impedimentum canonicum, ut supra probavi disput. 31, sect. 4, sed solum supponitur, propter hujusmodi crimen publicum posse clericum, qui tale crimen publice commisit. impediri ab usu Ordinum, in quo jus Prælatorum Ecclesiæ, et providentia ab eis adhibenda declaratur, non vero speciale impedimentum ipso jure incurrendum imponitur. Multo autem minus probant alia jura. Nam in dict. cap. Testimonium, non agitur de criminibus, quæ inducant irregularitatem, sed de his, quæ sufficiunt, ut testimonium alicujus in judicio non admittatur, quidquid autem de illis sit, nullum argumentum a simili hic admittimus. Solum possunt similia jura deservire ad explicandum quando et quomodo ex illis contrahatur infamia, et ratione illius irregularitas. Cap. autem De his, in superiori sectione expositum est, quia nec propriam legem, sed Rabani sententiam, nec verbum, quod indicet pœnam ipso facto impositam, continet. Cap. autem Sacerdotes, quod potius de suspensione loquitur, in dicta sectione de suspensione late tractatum est. Ubi etiam exposuimus cap. ult., 15, quæst. 8, quod ad hoc etiam allegari solet. Caput tamen penultimum, seu, *Si quis presbyter*, quod supra citatum est, in primis non est Martini Papæ, sed sumptum ex canonibus Martini Episcopi Bracharens. Deinde in eo non fertur aliqua pœna ipso jure, sed ponitur modus, quo puniendus est presbyter, vel diaconus, qui subticendo peccatum prius commissum, Ordines suscepit. Cum autem ibi dicitur, *Si peccaverit*, intelligendum videtur non de quolibet peccato (quia incredibile est quodcumque peccatum ante ordinationem commissum tam severe puniri), sed de pec-

cato, quod suscipiendis Ordinibus impedimentum affert. Unde in Concilio Neocæsariensi, cap. 9, ex quo videtur Martinus decretum illud sumpsisse, dicitur, *Si corpore prius peccaverat, etc.*, et de aliis peccatis secundum veriore translationem subditur: *Nam reliqua peccata plurimi censuerunt per manus impositionem posse tolli*; ac si diceret, non impediunt ordinationem, si de illis pœnitentia agatur. *Peccatum autem corporis*, sine dubio est aliquis lapsus carnis, et communiter exponitur de fornicatione, ex cap. Qui admisit, 15, quæst. 8, nam fortasse olim simile peccatum commissum etiam ante ordinationem presbyterii, vel diaconatus, puniebatur postea in clerico confitente tale delictum, vel de illo convicto. Sed hoc non est nunc in usu, neque ex tali pœna propria irregularitas colligi potest. Quapropter, sicut supra dixi non incurri suspensionem propter hujusmodi peccatum publicum, ut, v. gr., concubinatum, vel aliquid hujusmodi, ita in præsentis sentio non incurri irregularitatem, nisi vel ratione infamiæ, de qua item dicemus, vel propter aliquod speciale jus, quod solum in delictis supra tractatis invenitur.

6. *Plures casus a Maiolo inter irregularitates numerati excluduntur.* — Non omitam tamen advertere, Maiolum, in lib. 5, fere per 40 capita enumerare quamplurima peccata, quæ irregularitatem inducunt. Sed de nullo id satis probat, præter ea, quæ tractavimus, loquendo de propria et canonica irregularitate; sed interdum quodlibet impedimentum peccati, aut scandali, et alia hujusmodi, quæ natura sua reddunt illicitum usum Ordinum, vocat irregularitates. Sæpe etiam quodlibet censuræ impedimentum irregularitatem appellat, sæpiusque suspensionem, aut depositionem etiam ab homine imponendam, neque amplius probant jura, quæ adducit. Quod possemus facile ostendere discurrendo per singula; tamen ob vitandam prolixitatem id omitimus; præsertim cum ex multis exemplis in superioribus tractatis facile sit de cæteris ferre judicium.

DISPUTATIO XLIV.

DE IRREGULARITATE QUÆ CONTRAHITUR EX DELICTO HOMICIDII VOLUNTARIUM.

Duplex est hominis occisio, una injusta, altera justa, et prior esse potest voluntaria

vel directe, vel indirecte tantum. Illa ergo quæ et injusta, et directa voluntate fit, retinet nomen voluntarii homicidii; quæ autem non ita voluntaria est, dicitur casualis, habetque aliquam rationem homicidii, si indirecte saltem voluntaria sit; quod si contingat esse omnino involuntariam, dicitur simplex occisio hominis mere casualis, nam homicidium absolute, peccaminosum actum significare solet. Voluntaria vero hominis occisio duplici titulo potest esse justa, scilicet, ratione defensionis, aut publicæ potestatis et causæ. Unde quadruplex consurgit hominis occisio seu materiale homicidium, scilicet, voluntarium, casuale, defensivum, punitivum, et ex omnibus consurgunt irregularitates, quæ hic sigillatim tractandæ sunt, propter connexionem quam inter se habent; simulque de mutilatione dicemus, quia ejusdem speciei est, licet imperfecte illam participet.

SECTIO I.

Quæ voluntas in præsentis materia necessaria sit ad homicidium voluntarium.

1. *Regula generalis.* — *Prima conclusio.* — Supponimus ex homicidio voluntario contrahi irregularitatem, id enim passim habetur in jure, d. 50, et tit. de Homicidio, per multa capita. Ut autem modus hujus irregularitatis intelligatur, explicare oportet quæ voluntas, et quæ actio ad voluntarium homicidium juxta consuetudinem juris sufficiat; hinc enim resolutio hujus disputationis pendet, ut recte Cajet. notavit 2. 2, q. 64, art. 7. In præsentis ergo quæstione certum in primis est ad hanc irregularitatem esse necessariam voluntatem directam et perfectam homicidii; nam in jure irregularitas homicidii voluntarii multum differt a casuali, ut patet etiam ex Trid., sess. 14, cap. 7 de Reform. Differentia autem solum esse potest in voluntate directa, quæ necessaria est ad voluntarium homicidium, et non ad casuale, ut ex eisdem juribus constat et ex his quæ congerit Covarr., relectione de Homicid., p. 2, initio.

2. *An requiratur voluntas expressa occidendi ad irregularitatem hanc.* — *Prima opinio.* — *Impugnatur.* — Difficultas vero superest an requiratur voluntas expressa occidendi hominem. Nam Covarr. supra negat esse necessariam, sed satis esse putat, quod quis directe intendat alium percutere, et vulnus injuriosum, vel nocivum illi inferre; nam, licet non intendat lethale vulnus, vel potius